



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Vita Leonis Papae IX. Qvem Vvlgo X. Nominant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

Montes  
pietatis ap-  
probantur.

montes pietatis multis in locis vsurpati, & a sede apostolica approbati laudantur & approbantur, excommunicatis iis omnibus, qui vel verbo vel scripto eosdem impugnare ausi fuerint. Eadem sessione constitutum fuit, ne sub excommunicatione vllus deinceps liber nouus in lucem emittatur, quin vel per ordinarium loci, vel per inquisitionem hæreticæ prauitatis approbatus fuerit.

Sessio XI.  
de modo  
prædicandi.

Sessione vndecima, quæ habita fuit anno 1516. die 19. Decembris, edita est constitutio de modo prædicandi verbum Dei, nimirum ne quis publice concionari præsumat, qui non præuio examine est approbatus; addita determinatione, quas res e suggestu publicare liceat, quibusve ibidem abstinere debeat. Circa finem adiecta est decretis constitutio de religiosis, eorumque priuilegiis.

Sessio XII.

Sessione duodecima anno Domini 1517. decimosexto Maii celebrata excommunicantur quicumque domos cardinalium tempore electionis noui pontificis inuadunt: absolutoque Concilio, Leo pontifex vniuersa & singula, quæ superioribus sessionibus definita sunt, confirmauit & approbavit. Hæc summam de rebus in hoc Concilio gestis.

<sup>h</sup> *Anno domini, &c.* ] Quæ de tempore celebrati Concilii habet inscriptio, vera esse ex præcedentibus cognoscuntur.

VITA

LEONIS PAPÆ IX.

QVEM VVLGO X. NOMINANT.

Leo quan-  
do ponti-  
fex factus?

LEO antea Ioannes appellatus, patre Laurentio Medices viro nobilissimo, & matre Clarice Vrsina Florentiæ prognatus, annum agens ætatis trigessimuseptimum, creatus est pontifex quinto Idus Martii anno 1513. tempore Maximiliani imperatoris, cum in numerum cardinalium ab Innocentio relatus, biennio propter Mediceos omnes a Carolo rege Francorum Florentia expulsos, a patria exulasset, binaque legatione in Florentia functus fuisset. Alfonsus Petrucius cardinalis admodum adolescens Leonis creationem de more populo Romano nuntiaturus, erupit in has voces: Pontificem habemus Leonem decimum; ac viuant vigeantque iuniores. Initio pontificatus repressis atque extinctis bellorum incendiis, quibus orbis fere vniuersus conflagrabat, totum se paci componendæ dedit, missisque ad principes legatis, pacem, tranquillitatemque reipublicæ comparauit; cardinales a Iulio dignitate spoliatos restituit; Synodum ab eodem Laterani inchoatam, & agi, & perfici iussit; Mutinam ab imperatore triginta milibus aureorum redemit; Sfortiam in ducatu Mediolanensi

Res gestæ  
Leonis.

ANNO  
CHRISTI  
1513.

confirmavit. Helueticis ampla stipendia decrevit! Veritus Franciscum regem, qui nouas adeptus erat Marignani victorias, pacem petiit, & Bononiae obtinuit. Laurentiū nepotem Florentiae administrandae praefecit, Vrbini que ducem creauit. Eiecto Senis Burghesio, & eius fratre cardinale, Raphaellem Petrucium dominum constituit. Cumque rex Selimus Turcarum bellicosissimus Christianis acriter minaretur, solennes supplicationes indixit, quas & ipse nudis pedibus celebrauit. His absolutis, Selimus morte sublatus est. Deprehensa coniuratione Burghesiorum, non tantum de auctoribus, verum etiam de omnibus qui sceleris conscii fuerant, debitas poenas sumpsit. Et ut numerum purpuratorum patrum impleret, triginta cardinales vna vice creauit. Cumque post obitum Maximiliani imperatoris Carolus V. gubernacula imperii capefferet, septem millibus aureorum receptis super lege, quae reges Neapolitanos imperii aditu prohibebat, dispensauit. Cum Carolo foederatus, bellum indicit Gallis; iisque Mediolano eiectis, Parmam & Placentiam ecclesiae recuperauit. Beatum Franciscum de Paula, Francisco rege instante, inter sanctos retulit. Huius temporibus anno Christi 1517. Martinus Luderus siue Lutherus, natione Saxo, patre incubo, ut testatur Cochlaeus, prognatus, monachus Augustinianus in Germania nouas haereses excogitare, & iam ante damnatas resuscitare coepit, motus inuidia erga Tertzellium Dominicanum, cui Albertus Moguntinus archiepiscopus indulgentias, quas pro Turcica expeditione bona sua erogantibus pontifex concesserat, in Germania promulgandas demandauerat. Habita disputatione Lipsica inter Eckium, Lutherum & Carolstadium, Lutherus a consiliariis Georgii principis optimi monitus, ut comiter & sedate se gereret, respondit: Neque propter Deum haec res coepta est, neque propter Deum finietur. Cumque post multas admonitiones pontificis non respiceret, neque in conuentu principum Vormatiensi ad palinodiam cantandam induci posset, excommunicatus est a pontifice, securumque a se dimissum Carolus V. velut publicum & notorium haeresiarum extirpandum esse rescripsit. Eodem tempore apud Helueticos Tigurinos Vlricus Zvvinglius coepit indulgentiarum praedicatorum, eo a pontifice missum, oppugnare. Post haec

Lutherus  
cur & quan-  
do haeresi-  
archa fa-  
ctus?

Lutherum  
Leo excom-  
municauit.

Leonis pa-  
pæ obitus.

Leo pontifex mitissimus, iustitiæ & religionis amantissimus, literatorum hominum singularis patronus, qui urbem elegantibus ædificiis exornauit, salisque vectigali imminuit, febricula lentiore correptus, excessit e vita anno Domini 1521. quarto Nonas Decembris, cum sedisset annos octo, menses totidem & dies viginti. Sepultus est apud sanctum Petrum, & vacauit sedes post obitum eius diebus triginta septem. *Hæc ex Onuphrio & Surio.*

BULLA APOSTOLICA  
LEONIS PAPÆ X.

Contra errores Martini Lutheri & sequacium.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Fal. 73.*

**E**XURGE Domine & iudica causam tuam, memor esto improperorum tuorum, eorum quæ ab insipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces nostras; quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcasti solus, & ascensus ad Patrem, eius curam, regimen, & administrationem Petro tamquam capiti, & tuo vicario, eiusque successoribus instar triumphantis ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur eam aper de silua, & singularis feras depascitur eam. Exurge Petre, & pro pastorali cura præfata, tibi, vt præfertur, diuinitus demandata, intende in causam sanctæ Romanæ ecclesiæ, matris omnium ecclesiarum, ac fidei magistræ, quam tu, iubente Deo, tuo sanguine consecrasti: contra quam, sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt magistri mendaces, introducentes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes, quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum habentes & contentiones in cordibus suis, gloriantur & mendaces sunt aduersus veritatē. Exurge tu quoque quæsumus, Paule, qui eam tua doctrina ac pari martyrio illuminasti atque illustrasti. Iam enim surgit nouus Porphyrius: quia sicut ille olim sanctos apostolos iniuste momordit, ita hic sanctos pontifices prædecessores nostros contra tuam doctrinam eos non obsecrando, sed increpando, mordere, lacerare, ac vbi causæ suæ diffidit, ad conuicia accedere non veretur,

veretur, more hæreticorum, quorum, vt inquit Hieronymus, vltimum præsidium est, vt cum conspiciant causas damnatum iri, incipiant virus serpentis lingua diffundere: & cum se victos conspiciant, ad contumelias profilire. Nam licet hæreses esse ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere, eas tamen, ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coalescant, in ipso ortu, te intercedente & adiuuante, extingui necesse est. Exurgat denique omnis sanctorum ac reliqua vniuersalis ecclesia, cuius vera sacrarum literarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excæcauit, ex veteri hæreticorum instituto apud semetipsos sapientes, scripturas easdem aliter quam Spiritus sanctus flagitet, proprio dumtaxat sensu, ambitionis, auræque popularis causa, teste Apostolo, interpretantur, imo vero torquent & adulterant: ita vt iuxta Hieronymum, iam non sit euangelium Christi, sed hominis, aut quod peius est, diaboli. Exurgat, inquam, præfata ecclesia sancta Dei, & vna cum beatissimis apostolis præfatis, apud Deum omnipotentem intercedat, vt purgatis ouium suarum erroribus, eliminatisque a fidelium finibus hæresibus vniuersis, ecclesiæ suæ sanctæ pacem & vnitatem conseruare dignetur. Dudum siquidem, quod præ animi angustia & mœrore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu ac fama publica referente, ad nostrum peruenit auditum: imo vero, proh dolor! oculis nostris vidimus ac legimus multos & varios errores, quosdam videlicet iam per Concilia ac prædecessorum nostrorum constitutiones damnatos, hæresin etiam Græcorum & Bohemicam expresse continentes: alios vero respectiue vel hæreticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, a falsis fidei cultoribus, qui per superbam curiositatem mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sapere volunt, quam oporteat: quorum garrulitas, vt inquit Hieronymus, sine scripturarum auctoritate non haberet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam etiam diuinis testimoniis, male tamen interpretatis, roborare: a quorum oculis Dei timor recessit, humani generis hoste suggerente, nouiter suscitatos, & nuper apud quosdam leuios in inclyta natione Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi euenisse, quod eandem

nationem & nos, & prædecessores nostri, in visceribus semper gesserimus caritatis. Nam post translatum ex Græcis a Romana ecclesia in eosdem Germanos imperium, iidem prædecessores nostri & nos, eiusdem ecclesiæ aduocatos defensoresque ex eis semper accepimus, quos quidem Germanos, catholicæ veritatis vere germanos, constat hæreseon acerrimos oppugnatores semper fuisse, cuius rei testes sunt laudabiles illæ constitutiones Germanorum imperatorum pro libertate ecclesiæ, proque expellendis exterminandisque ex omni Germania hæreticis, sub grauissimis pœnis etiam amissionis terrarum & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes, olim editæ, & a nostris prædecessoribus confirmatæ: quæ si hodie seruarientur, & nos & ipsi utique hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constantiensi Hussitarum ac Vvicleffitarum, nec non Hieronymi Pragensis damnata ac punita perfidia. Testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum seu multorum ex eis per Coloniensem & Louaniensem vniuersitates, vtpote agri dominici piissimas religiosissimasque cultrices, non minus docta quam vera ac sancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quæ, ne historiam texere videamur, prætermittenda censuimus. Pro pastoralis igitur officii diuina gratia nobis iniuncti cura, quam gerimus, prædictorū errorum virus pestiferum vltius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ religionis nota atque orthodoxæ fidei iniuria, nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inferendos, quorum tenor sequitur & est talis:

Plurimæ  
Lutheri hæ-  
reses.

Hæretica sententia est, sed vsitata, sacramenta nouæ legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cæli.

Imperfecta caritas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem & satisfactionem, non est fundatum in sacra scri-

ptura, nec in antiquis sanctis Christianis doctoribus.

Contritio quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, scditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

Verissimum est prouerbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius: De cetero non facere, summa pœnitentia; Optima pœnitentia, noua vita.

Nulla modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est vt omnia mortalia cognoscas. Vnde in primitiua ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

Peccata non sunt vlli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti: imo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

Nulla modo confidas absolui propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, *Quodcumque solueris, &c. Matth. 16.* Hic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutiōnem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non seruo, sed ioco absolueret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus. In sacramento pœnitentiæ ac remissione culpæ, non plus facit papa aut episcopus, quam infimus sacerdos: imo vbi non est sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset. Nullus debet sacerdoti respondere, se esse contritum, nec sacerdos requirere. Magnus est error eorum qui ad sacramenta eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria; omnes illi ad iudicium sibi manducant & bibunt: sed si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos.

Consultum videtur, quod ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub vtraque specie communicandos; nec Bohemi communicantes sub vtraque specie sunt hæretici, sed schismatici. Thesauri ecclesiæ, vnde papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & sanctorum. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum: & sunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iustitiam.

Seducuntur credentes indulgentias esse salutes, & ad fructum spiritus vtilis.

Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec vtilis: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus ecclesiæ orationibus.

Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

Romanus pontifex Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

*Matth. 16.* Verbum Christi ad Petrum, *Quodcumque solueris super terram*, &c. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

Certum est in manu ecclesiæ aut papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

Si papa cum magna parte ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium vniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum.

Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Concilio-



rum, & libere contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, siue probatum fuerit, siue reprobatum a quocumque Concilio.

Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi & euangelici, quos nec vniuersalis ecclesia posset damnare.

In omni opere bono iustus peccat.

Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo: & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Purgatorium non potest probari ex sacra scriptura quæ sit in Canone.

Animæ in purgatorio non sunt securæ de eorum salute, faltem omnes: nec probatum est vllis aut rationibus aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ caritatis.

Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

Animæ ex purgatorio liberatæ suffragiis viuentium, minus beantur quam si per se satisfecissent.

Prælati ecclesiastici & principes sæculares non malefacerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores respectiue quam sint pestiferi, quam perniciosi, quam scandalosi, quam piarum & simplicium mentium seductiui, quam denique sint contra omnem caritatem, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ matris omnium fidelium, & magistræ fidei reuerentiam, atque neruum ecclesiasticæ disciplinæ, obedientiam scilicet quæ fons est & origo omnium virtutum, sine qua facile vnusquisque infidelis esse conuincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmissis, vtpote grauissimis, propensius, vt decet, procedere, nec non huiusmodi pesti, morboque canceroso, ne in agro dominico tamquam verpris nociua vterius serpat, viam præcludere cupientes,

habita super prædictis erroribus & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, matureque deliberatione, omnibusque rite pensatis ac sæpius ventilatis cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac regularium ordinum prioribus seu ministris generalibus, pluribusque aliis sacre theologiæ, nec non vtriusque iuris professoribus siue magistris, & quidem peritissimis: reperimus eisdem errores, respectiue, vt præfertur, aut articulos non esse catholicos, nec tamquam tales esse dogmatizandos, sed contra ecclesiæ catholicæ doctrinam siue traditionem, atque ab ea veram diuinarum scripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati ita acquiescendum censuit Augustinus, vt dixerit se euangelio non fuisse crediturum, nisi ecclesiæ catholicæ interuenisset auctoritas. Nam ex eisdem erroribus, vel eorum aliquo vel aliquibus palam sequitur, eandem ecclesiam, quæ Spiritu sancto regitur, errare & semper errasse. Quod est vtique contra illud, quod Christus discipulis suis in ascensione sua, vt in sancto euangelio Matthæi legitur, promisit dicens: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* nec non contra sanctorum patrum determinationes, Conciliorum quoque & summorum pontificum expressas ordinationes seu Canones: quibus non obtemperasse, omnium hæreseon & schismatum, teste Cypriano, fomes & causa semper fuit.

*Matth. 28.*

De eorundem itaque venerabilium fratrum nostrorum consilio & assensu, ac omnium & singulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & nostra, præfatos omnes & singulos articulos seu errores, tamquam, vt præmittitur, respectiue hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, & veritati catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, ac pro damnatis, reprobatis & reiectis, ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus haberi debere, harum serie decernimus & declaramus: inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, nec non quo ad ecclesiasticas & regulares personas episcopaliū omnium etiam patriar-

chaliū, metropolitanarū, & aliarū cathedraliū ecclesiārum, monasteriorū quoque & prioratūū etiā conuentualiū, & quarūcumque dignitatū aut beneficiūū ecclesiasticorū, s̄culariū, aut quorūmuis ordinū regulariū, priuationis & inhabilitatis ad illa & alia in posterū obtinenda: quo vero ad conuentus, capitula, seu domos aut pia loca s̄culariū vel regulariū, etiā Mendicantiū, nec non vniuersitates etiā studiūū generalium, quorūcumque priuilegiūū indultorū a sede apostolica vel eius legatis, aut alias quomodolibet habitōrum vel obtentōrum, cuiuscumque tenoris existant: nec non nominis & potestatis studiūū generale, tenendi, legendi ac interpretandi quasuis sciētiās & facultates, & inhabilitatis ad illa & alia in posterū obtinenda: prædicationis quoque officii ac amissionis studiūū generalis, & omnium priuilegiūū eiusdem. Quo vero ad s̄culares eiusdem excommunicationis, nec non amissionis cuiuscumque emphyteusis seu quorūcumque feudorū, tam a Romana ecclesia quam alias quomodolibet obtentōrum, ac etiā inhabilitatis ad illa & alia in posterū obtinenda. Nec non quo ad omnes & singulos superius nominatos, inhibitionis ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes & singulos actus legitimos, infamiae ac diffidationis & criminis læsæ maiestatis, & hæreticorū & fautorū eorūdem in iure expressis pœnis, eo ipso & absque vltiori declaratione per omnes & singulos supradictos, si, quod absit, contra fecerint, incurrendis. A quibus vigore cuiuscumque facultatis & clausularū etiā in confessionalibus quibusuis personis, sub quibusuis verborū formis contentarū, nisi a Romano pontifice, vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant. Omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, tam laicis quam clericis, s̄cularibus & quorūmuis ordinū regularibus, & aliis quibuscumque personis, cuiuscumque status, gradus vel conditionis existant, & quacumque ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, etiā sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, patriarchaliū, metropolitanarū, & aliarū cathedraliū, collegiata-

rum ac inferiorum ecclesiarum prælati, clericis, aliisque personis ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis ordinum, etiam Mendicantium regularibus, abbatibus, prioribus, vel ministris generalibus vel particularibus, fratribus seu religiosis exemptis, & non exemptis: studiorum quoque vniuersitatibus sæcularibus, & quorumuis ordinum etiam Mendicantium regularibus: nec non regibus, imperatoris electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, conductoribus, domicellis, omnibusque officialibus, iudicibus, notariis, ecclesiasticis & sæcularibus communitatibus, vniuersitatibus, potentatibus, ciuitatibus, castris, terris & locis, seu eorum vel earum ciuibus, habitatoribus & incolis, ac quibusuis aliis personis ecclesiasticis vel regularibus, vt præfertur, per vniuersum orbem, vbicumque, præsertim in Alemania, existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersamque doctrinam huiusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice vel occulte, quouis quæsito ingenio vel colore, tacite vel expresse fauere præsumant. Insuper, quia errores præfati & plures alii continentur in libellis seu scriptis cuiusdam Martini Luther, dictos libellos & omnia dicti Martini scripta seu prædicationes, in Latino vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores seu eorum aliquis continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis ac reiectis, vt præfertur, haberi volumus: mandantes in virtute sanctæ obedientiæ & sub prædictis pœnis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne huiusmodi scripta, libellos, prædicationes seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos supradictos continentia legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, siue defendere per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, siue aliis publicis vel priuatis locis tenere quoquo modo præsumant: quinimo illa statim post harum publicationem, vbicumque fuerint, per ordinarios & alios supradictos diligenter quæsita, publice & solenniter in præsentia cleri & populi, sub  
omni-

omnibus & singulis supradictis pœnis comburant.

Quod vero ad ipsum Martinum attinet, bone Deus, quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ caritatis omisimus, vt eum ab huiusmodi erroribus reuocaremus? Postquam enim ipsum citauimus, mitius cum eo procedere volentes, illum inuitauimus: atque tam per diuersos tractatus cum legato nostro habitos, quam per literas nostras, hortati fuimus, vt a prædictis erroribus discederet, aut ad nos, oblato etiam saluoconductu & pecunia ad iter necessaria, sine metu seu timore aliquo, quem perfecta caritas foras mittere debuit, veniret, ac Saluatoris nostri apostolique Pauli exemplo, non in occulto, sed palam & in facie loqueretur. Quod si fecisset, pro certo, vt arbitramur, ad cor reuersus errores suos cognouisset: nec in Romana curia, quam tantopere, vanis maleuolorum rumoribus plus quam oportuit tribuendo, vituperat, tot reperisset errata: docuissimusque eum luce clarius, sanctos Romanos pontifices prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam iniuriose lacerat, in suis Canonibus seu constitutionibus, quas mordere nititur, nunquam errasse: quia iuxta prophetam, *Nec in Galaad resina, Jerem. 8. nec medicus deest.*

Sed obaudiuit semper, & prædicta citatione, omnibusque & singulis supradictis spretis venire contempsit, ac vsque in præsentem diem contumax atque animo indurato, censuras vltra annum sustinuit: & quod deterius est, addens mala malis, de citatione huiusmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit, ad futurum Concilium, contra constitutionem Pii secundi ac Iulii secundi prædecessorum nostrorum, qua cauetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos. Frustra etiam Concilii auxilium implorauit, qui illi se non credere palam profitetur, ita vt contra ipsum, tamquam de fide notorie suspectum, imo vere hæreticum, absque vltiori citatione vel mora, ad condemnationem & damnationem eius, tamquam hæretici, ac ad omnium & singularum superscriptarum pœnarum & censurarum seueritatem procedere possemus.

Nihilo minus de eorumdem fratrum nostrorum consilio, omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non

vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat: omnium iniuriarum hæctenus nobis & apostolicæ sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate vti decreuimus, & quantum in nobis est, agere, vt proposita mansuetudinis via, ad cor reuertatur, & a prædictis recedat erroribus, vt ipsum tamquam filium illum prodigum ad gremium ecclesiæ reuertentem benigne recipiamus. Ipsum igitur Martinum & quoscumque ei adhærentes, eiusque receptatores & fautores, per viscera misericordiæ Dei nostri, & per asperionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quo & per quem humani generis redemptio, & sanctæ matris ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur & obsecramus, vt ipsius ecclesiæ pacem, vnitatem & veritatem, pro qua ipse Saluator tam instantè orauit ad Patrem, turbare desistant, & a prædictis tam perniciosis erroribus prorsus abstineant, inuenturi apud nos, si effectualiter potuerint, & paruissè per legitima documenta nos certificauerint, paternæ caritatis affectum, & apertum mansuetudinis & clementiæ fontem.

Inhibentes nihilo minus eidem Martino exnunc, vt interim ab omni prædicatione, seu prædicationis officio omnino desistat.

Alioquin vt ipsum Martinum, si forte iustitiæ & virtutis amor a peccato non retrahat, indulgentiæque spes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat disciplinæ, eundem Martinum, eiusque adhærentes, complices, fautores & receptatores tenore præsentium requirimus & monemus in virtute sanctæ obedientiæ & sub prædictis omnibus & singulis pœnis, eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro secundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infra scriptis, immediate sequentes numerandos, ipse Martinus, complices, fautores, adhærentes, & receptatores prædicti, a præfatis erroribus, eorumque prædicatione ac publicatione & assertione, defensione quoque & librorum seu scripturarum editione super eisdem, siue eorum aliquo omnino desistant, librosque ac scripturas om-

nes & singulas, præfatos errores, seu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant, vel comburi faciant. Ipse etiam Martinus errores & assertiones huiusmodi omnino reuocet, ac de reuocatione huiusmodi per publica documenta in forma iuris valida, in manibus duorum prælatorum consignata, ad nos infra alios similes sexaginta dies transmittenda, vel per ipsummet (si ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato plenissimo saluoconductu, quem exnunc concedimus, defendenda, nos certiores efficiat, vt de eius vera obedientia nullus dubitationis scrupulus valeat remanere.

Alias si, quod absit, Martinus præfatus, complices, fautores, adhaerentes & receptatores prædicti secus egerint, seu præmissa omnia & singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleuerint, Apostoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, post primam & secundam correptionem, vitandum docuit, exnunc prout extunc, & e conuerso, eundem Martinum, complices, adhaerentes, fautores & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tamquam aridos palmites in Christo non manentes, sed doctrinam contrariam catholicæ fidei inimicam, siue scandalosam, seu damnatam, in non modicam offensam diuinæ maiestatis, ac vniuersalis ecclesiæ & fidei catholicæ detrimentum & scandalum dogmatizantes & prædicantes, clauis quoque ecclesiæ vilipendentes notorios & pertinaces hæreticos eadem auctoritate fuisse & esse declarantes, eosdem vt tales harum serie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus suprascriptis volumus & mandamus; eosque omnes & singulos omnibus suprascriptis, & aliis contra tales a iure inflictis pœnis, & præsentium tenore subiicimus, & eisdem irretitos fuisse & esse decernimus & declaramus.

Inhibemus præterea sub omnibus & singulis præmissis pœnis, eo ipso incurrendis, omnibus & singulis Christi fidelibus superius nominatis, ne scripta, etiam præfatos errores non contentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, seu eorum aliqua, tamquam ab homine orthodoxæ fidei inimico atque ideo vehementer suspecta, & vt eius memoria omnino

deleatur de Christi fidelium consortio, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, siue defendere per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, seu in domibus suis, siue aliis locis, publicis vel priuatis, tenere quoquo modo præsumant: quinimo illa comburant, vt præfertur.

Monemus insuper omnes & singulos Christi fideles supradictos, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt hæreticos prædictos declaratos & condemnatos, mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum termini supradicti euitent, & quantum in eis est, euitari faciant, nec cum eisdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam conuersationem, seu communionem habeant, nec eis necessaria ministrent.

Ad maiorem præterea dicti Martini, suorumque complicum, fautorum & adhærentium ac receptatorum prædictorum, sic post lapsum termini prædicti declaratorum hæreticorum & condemnatorum confusionem, vniuersis & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, patriarchalium, metropolitinarum & aliarum cathedralium, collegiatarum, ac inferiorum ecclesiarum prælatis, capitulis, aliisque personis ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis ordinum, etiam Mendicantium (præsertim eius congregationis, cuius dictus Martinus est professus, & in qua degere vel morari dicitur) regularibus, exemptis & non exemptis, nec non vniuersis & singulis principibus, quacumque ecclesiastica vel mundana fulgentibus dignitate, regibus, imperatoris electoribus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, conductoribus, domicellis, communitatibus, vniuersitatibus, potentatibus, ciuitatibus, terris, castris & locis, seu eorum habitatoribus, ciuibus & incolis, omnibusque aliis & singulis supradictis, per vniuersum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis mandamus, quatenus sub prædictis omnibus & singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet, præfatum Martinum, complices, adhærentes, receptantes, & fautores personaliter capiant, & captos ad nostram instantiam retineant, & ad nos mittant, reportaturi pro tam bono opere, a nobis & sede apostolica remunerationem præmiumque



condignum: vel saltem eos & eorum quemlibet, de metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, & aliis ecclesiis, domibus, monasteriis, conuentibus, ciuitatibus, dominiis, vniuersitatibus, communitatibus, castris, terris ac locis, respectiue tam clerici & regulares, quam laici omnes & singuli supradicti omnino expellant.

Ciuitates vero, dominia, terras, castra, villas, comitatus, fortalitia, opida, & loca quæcumque vbilibet consistencia, eorum & earum respectiue metropolitanas, cathedrales, collegiatas, & alias ecclesias, monasteria, prioratus, domus, conuentus, & loca religiosa vel pia cuiuscumque ordinis, vt præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanferint, & triduo post recessum, ecclesiastico subiicimus interdicto.

Et vt præmissa omnibus innotescant, mandamus insuper vniuersis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, patriarchalium, metropolitanarum, & aliarum cathedralium ac collegiatarum ecclesiarum prælatis, capitulis, aliisque personis ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis ordinum supradictorum regularibus, fratribus religiosis, monachis, exemptis & non exemptis supradictis, vbilibet, præsertim in Alemania, constitutis, quatenus ipsi vel eorum quilibet sub similibus censuris & pœnis eo ipso incurrendis, Martinum, omnesque & singulos supradictos, qui elapso termino huiusmodi mandatis, seu monitis nostris non paruerint, in eorum ecclesiis, dominicis & aliis festiuis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, declaratos hæreticos & condemnatos publice nuntient, faciantque & mandent ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius euitari.

Nec non omnibus Christi fidelibus, vt eos euitent, pari modo sub prædictis censuris & pœnis; & præsentem literas, vel earum transsumptum sub forma infra scripta factum, in eorum ecclesiis, monasteriis, domibus, conuentibus, & aliis locis, legi, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & singulos, cuiuscumque status, gradus conditionis, præminentia, dignitatis, aut excellentia fuerint, qui, quo minus præsentem literas, vel earum transsumpta, copia seu exemplaria in suis terris & dominiis legi, affigi & publicari

possint, fecerint, vel quoquo modo procurauerint per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse.

Postremo, quia difficile foret præsentem literam ad singula quæque loca deferri, in quibus necessarium foret; volumus & apostolica auctoritate decernimus, quod earum transumptis manu publici notarii confectis & subscriptis, vel in alma Vrbe impressis, & sigillo alicuius ecclesiastici prælati munitis, vbique stetur & plena fides adhibeatur, prout originalibus literis staretur & adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Et ne præfatus Martinus, omnesque alii supradicti, quos præsentem literam quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem literarum, & in eis contentorum omnium & singulorum prætereundere valeant, literas ipsas in basilicæ principis apostolorum, & cancellariæ apostolicæ, nec non cathedralium ecclesiarum Brandeburgensis, Misnensis, & Merspurgensis valuis affigi & publicari debere volumus: decernentes, quod earundem literarum publicatione sic facta, supradictum Martinum, omnesque alios & singulos prænominatos, quos literam huiusmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent, ac si literam ipsam die affixionis & publicationis huiusmodi eis personaliter lectam & intimatam forent: quum non sit verisimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, seu si supradictis omnibus & singulis, vel eorum alicui, aut quibusvis aliis a sede apostolica prædicta, vel ab ea potestatem habentibus, sub quavis forma, etiam confessionali, & cum quibusvis etiam fortissimis clausulis, aut ex quavis causa seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto huiusmodi mentionem, eiusdem indulti tenores, causas & formas, perinde ac si de verbo ad verbum infererentur, ita vt omnino tollantur, præsentibus pro expressis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram damnationis, reprobationis, reiectionis, decreti, de-

HADRIANI PAPÆ VI. VITA. 575

clarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, condemnationis, subiectionis, excommunicationis & anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri ac Pauli apostolorum eius, se noverit incursum.

Data Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ 1520. xvii. Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno octauo.

Vifa. R. Milanefius  
Albergatus.

VITA

HADRIANI PAPÆ VI.

ANNO  
CHRISTI  
1522.

**H**ADRIANVS tenuis sed honestæ fortunæ parentibus VI. traiecti natus, Louanii studendo tantum profecerat, ut inter theologos facile primus haberetur. Qua de causa in Caroli V. præceptorem assumptus, atque in Hispaniam profectus, ibique episcopus & cardinalis creatus, post vices ibidem Caroli præclare gestas, tempore eiusdem Caroli V. imperatoris anno Domini 1522. quinto Idus Ianuarii, opera cardinalis Medices, atque omnium cardinalium consensu pontifex electus fuit. Quod cum illi apud Victoriæ urbem Cantabriæ moranti nuntiatum esset, Genuam maritimo itinere delatus, a principibus Galliarum summo honore visitatus est. Romam ingressus octauo Kalendas Octobris in Vaticano coronatus est pompa admodum tenui propter pestis calamitatem, quæ tum Urbem peruaferat. Nomen cum quibusdam aliis pontificibus non immutauit. Amplo & robusto erat corpore, sed viuaci ingenio. Nam cum cardinalis nepoti suo sacerdotium 70. aureorum annui redditus contulisset, vacassetque aliud, cuius proventus paulo pinguiore essent, vix adduci potuit daret illud, solitus dicere: Cupere se homines beneficiis dare, non beneficia hominibus. Ad rempublicam accedens, ob minimos rerum usus omnia fere aliorum arbitrio moderabatur. Bellum intulit Sigismundo Malatestæ, quem du-

Hadrianus  
quando  
pontifex  
factus?

Res geste  
Hadriani.